


te ejus beneficia coram Deo. (*Quest. 90.*)

XIII. Humilitas est, anima non observans, neque judicans aliorum lapsus, sed tantummodo sua curans, & æterna poena se dignam existimans... (*Ibid.*)

XIV. Licet ne principibus munera accipere; & ea in pauperes insumere? *Resp.* Si qui beneficiis affecti cum sint in re lauta, & sponte sua illa offerunt eis puta, qui bene meriti sunt, fortasse sine culpa accipiunt, si in pauperes ea distribuunt. Quæ autem ab agricolis, & manuariis opificibus accipiunt dona, qui ex laboribus quæstum faciunt, ignem, & supplicium sibi attrahunt; etiam si in mille ita distribuunt pietatis opera, sicut ait Scriptura: *Ignis devorabit domos eorum, qui munera accipiunt.* (*Quest. 116.*)



SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN HILARIO

Correspondientes al Capítulo III. Artículo IV.

I. Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus est. (*Lib. 2. de Trinit.*)

II. Omnis infidelitas stultitia est: quia imperfecti sensus sui usa sapientia, dum omnia opinione infirmitatis suæ moderatur, putat effici non posse, quod non sapit. Causa enim infidelitatis, de sententia est infirmitatis, dum gestum esse quis non putat, quod geri non posse definiat. (*Lib. 3.*)

III. Non statim boni, atque utilis Sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare: cum & innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit: & doctus sine doctrinæ sit autoritate, nisi innocens sit. (*Lib. 8.*)

IV. Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, & inflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur; sed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, & iis, quæ studemus, doctrinam coaptamus. (*Lib. 10.*)

V. In simplicitate fides est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis, ac facili est æternitas. (*Ibid.*)

VI. Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur: Lugentibus æternæ consolationis solaria repromittit; non orbitates, aut contumelias, aut damna moerentibus, sed pecca-

ta vetera fletibus, & criminum, quibus obsordescimus, conscientia ærumnosa, hæc sedula in cælo consolatio præparatur. (*In Matthæum cap. 4.*)

VII. Præesse Angelos absoluta auctoritas est. Salvatorum per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. (*Cap. 18.*)

VIII. Habere divitias criminis non est, sed modus in habendo retinendus est. Nam quomodo impertiendum est, quomodo communicandum, si impertiendi, & communicandi materia non relinquatur? Ergo nocenter magis habere, quam illud ipsum habere fit crimen. Sed periculosa cura est velle ditescere: & grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata. Rem enim sæculi famulatus Dei non sine istius vitiis assequitur. Hinc difficile, divitem regnum cælorum adire. (*Cap. 19.*)

IX. *Sine intermissione oramus*, cum per opera Deo placita, & in gloriam ejus semper exercita, sancti cujusque viri vita omnis oratio fit: ac sic secundum legem noctu dieque vivendo, vita ipsa nocturna, legis erit, & diurna meditatio. (*In primum Psal. enarr.*)

X. *Dixit stultus in corde suo, non est Deus.* Quis mundum contuens, Deum non esse sentiat? Sed fit frequenter, ut cum nos veri necessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non esse persuadeat: & quod contra fidem credimus, id tamen de consillio impii cordis eloquamur. (*In Psal. 52.*)

XI. *Memor fui nocte nominis tui:* Scit, præcipue nocturno tempore divini esse à nobis nominis recordandum, cum subrepunt animo impuræ cupiditates: cum vitiorum stimuli per recens sumptum cibum corpus exagitant. Non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus; sed in orationibus, in deprecationibus, in confessionibus peccatorum ocupandus: ut cum maxime corporis vitiis oppor-

tunitas datur, tum præcipue eadem vitia divinæ legis recodatione frangantur. (*In Psal. 118.*)

XII. *Portio mea Dominus:* Rarus quisque est, cui ista fiducia est. Renunciandum est sæculo, omnisque rebus ejus, ut nobis Deus portio sit. Cæterum, si nos ambitio detineat, si cura pecuniæ occupet, si illecebræ libidinum capiant, si negotia rerum familiarium demorentur; portio nobis Deus non erit, sæcularium curarum, atque vitiorum possessione detentis. (*Ibid.*)

XIII. Silentium à nobis orandi Dominus exigit, ut ex secreto cordis precemur, neque in eo vocis potius est officium, quam mentis. Ergo contrarium Evagelicis institutis videtur hoc, quod ait Propheta: *Clamavi ex toto corde meo.* Sed scit Propheta, clamorem potius cordis oportere esse, non vocis: & idcirco de corde clamat. Non hic elatæ vocis sonus est, sed clamor fidei, clamor mentis usque ad thronum Dei efferendus. Ille enim ad Deum toto corde clamat, qui magna postulat, qui cælestia precatur, qui æterna sperat, qui innocentis timoris vivit officiis. (*Ibid.*)

XIV. Nos vero salutem tanquam debitum postulamus: & veluti Deo sit hanc præstare necesse, primis ab eo precibus oramus: atque utinam cordis clamore loqueremur. Labia tantum nostra, sensu peregrinante, quod nesciunt murmurant: & officium corporis, mens in res alias occupata non sequitur. (*Ibid.*)

XV. *Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua.* Non utique, ut hæc Deo proveniant, optamus. Ut nihil nobis aliud in opere sit, nisi per quod sanctificetur nomen ejus: nihil aliud in spe, nisi per quod etiam in nos regnum ejus speramus: nihil aliud in voluntate, nisi per quod Deo æternæ à nobis laudes sunt deferendæ. (*In Psal. 134.*)

XVI. Nullus, quod peccatum esse confessus est, deir-

ceps debet admittere ; quia confessio peccati professio est desinendi . . . Confitendum est , ut Propheta docuit , ex toto corde , non ex parte , neque aliqua adhuc nobiscum cognitorum peccatorum operatione residente. (*In Psal. 137.*)

XVII. Nullus justus diem sine metu transigit , scit omnes dies plenos insidiarum sibi esse , Diabolo , atque Angelis ejus excidium sibi semper molientibus. Scit illam diem Domini occultam , insperatam , & modo nocturni furis , repentiam futuram. (*Ibid.*)

XVIII. Ut omnibus Sanctis caput Christus est ; ita omnibus iniquis caput Diabolus est. (*In Psal. 139.*)

XIX. Non est tyrannicæ voluntatis Deus , non præduræ pertinaciæ arbiter : sed qui rationem habeat infirmitatis humanæ. Neque qui hos demutabilis naturæ promptissimos lapsus secundum indemutabilis substantiæ suæ inflexam constantiam metiatur ; sed justus , & moderatus tantum ab homine expectet , quantum meminerit humanæ licere naturæ. (*In Psal. 142.*)

XX. Non Deus rapit humanorum criminum occasiones ; neque tanquam infirmitatis nostræ nescius , ipsum illud ad poenam erroris , & peccati nostri tempus invadit : sed disimulat , & differt , & poenitentiae solatium dilatione ultionis expectat , suavem se omnibus præstans , dum per misericordiae , & justitiæ modum , temperandæ severitatis indulgentiæ se reservat. Hoc in Deo præcipuum , hoc in potente laudandum : non cælum fecisse , quia potens est ; non annum astris temperasse , quia sapiens est ; non hominem animasse , qui vita est ; sed misericordem esse , qui justus est ; sed miserantem esse , qui Deus est. Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt ; & justitiam tuam exultabunt. (*In Psal. 144.*)

XXI. Primum misereri licet nostræ ætatis laborem , & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere : qui-

bus patrocinari Deo humana creduntur , & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione sæculari laboratur. Oro vos Episcopi , qui hoc vos esse creditis ? quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt ? quibus adjuti potestatibus Christum prædicaverunt , gentesque fere omnes ex idolis ad Deum transtulerunt ? Anne aliquam sibi assumebant à palatio dignitatem , hymnum Deo in carcere , inter catenas , & post flagella cantantes ? edictisne Regis Paulus , cum in theatro spectaculum ipse esset , Christo Ecclesiam congregabat ? Nerone se , credis , aut Vespasiano , aut Decio patrocinantibus tuebatur ? Quorum in nos odiis confessio divinæ prædicationis effloruit , illi manu , atque opere se alentes , intra coenacula , secretaque coeuntes , vicus & castella , gentesque fere omnes terra , ac mari contra Senatus consulta , & Regum edicta peragrantes : claves credis regni cælorum non habebant ? aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit : cum tanto magis Christus prædicaretur , quanto magis prædicari inhiberetur ? (*Cont. Auxent. n. 3.*)

XXII. Tentatur statim post baptismum Dominus , tentatione sua indicans , in sanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta grassari : quia victoria ei est magis exoptata de Sanctis. (*In Matth. cap. 3.*)

XXIII. *Servite Domino in timore , & exultate ei cum tremore ;* Ut metum servitutis gaudii exultatio temperaret , cum ipse timor causam lætitiæ per conscientiam servitii fidelis afferret. Porro autem ne libertas gaudii fines congruæ moderationis excederet , ita *subdidit , Exultate in tremore ,* quia periculosa ad oblivionem timoris esset libera à tremore lætitia. Atque ita hæc prophetici eloquii ratio servata est , ut servitutum timor detineret , timorem exultatio moderaretur , & exultationem tremor consequens contineret. Hujus autem servitii & timorem exultantem , & exultationem

trementem docuit in eo, quod sequitur, consistere, dicens: *Aprehendite disciplinam. (In Psal. 2.)*

XXIV. *Qui ingreditur sine macula.* Extra peccati labem vivere. . . magnum est, sed non in hoc statim confecti itineris est requies. Coepta enim in his via est, non perfecta; nam sequitur, & *operatur justitiam.* Bonum non tam cogitandum est, quam exequendum; justitiam velle, hic erit fructus, ut fiat. *(In Psal. 14.)*

XXV. Non oportet humilitatem carere constantia, & libertas Dei à nobis in ea, quam omnibus debemus, servitute retinenda est; ne ad potentium impetus terreamur, ne ad malevolorum arbitria cedamus. Interdum enim etiam regibus iniqua poscentibus turpi adulatione famulamur, & vitiis alienis constientiae nostrae infirmitate blandimur. *(Ibid.)*

XXVI. Stultitiae, atque impietatis extremae est, non intelligere, se sub Deo, & ex Deo vivere, sed in his, quæ gerit, & expectat, sua magis velle confidere potestate: cum si quid illud in se sit, ex Deo sit. Ad Deum itaque spes omnis nostra sit, & confessio omnis in Deo sit, exemplo Prophetæ dicentis: *Domine adjutor meus, & redemptor meus. (In Psal. 51.)*

XXVII. Impius timor est, cum quæ non timenda sunt, timentur, & quæ timenda sunt, non timentur. Et plerumque nos tamquam pro debita officii religione pie adulari regibus existimamus, quia in corpus nostrum sit in his aliquid potestatis: quibus licet nihil ultra de nobis, quam latroni, quam febrî, quam incendio, quam naufragio, quam ruinæ. Et propter brevem dolorem libertatem Ecclesiæ, spei nostræ fiduciam, confessionem Dei abjicimus; punitorem perditoremque in igne judicii & corporis, & animæ nostræ Deum non timentes, & æternis divinæ ultionis poenis momentanea supplicia præferentes. *(In Psal. 52.)*

XXVIII. *Per omnia omnibus placeo, non quærens,*

quod mihi utile sit, sed quod multorum, ut salventur. Hoc est, non hominibus, sed Deo placere; cum per id, quod Deo placetur, & hominibus sit placendum. Cæterum studium, quod ut hominibus tantum placeatur, impenditur, ad id, quod Deo placendum est, non refertur; quia tantum eorum causa, quibus placetur, adhibetur. *(Ibid.)*

XXIX. *Ne despexeris deprecationem meam.* Despicuntur orationes diffidentes, sæculi curis anxie, & rerum corporalium desideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infoecundæ. Hæ igitur despicabiles sunt orationes, de quibus per Isajam Prophetam: *Et cum extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos ab eis. (In Psal. 54.)*

XXX. *Tuus sum ego, salva me; quia justificationes tuas exquisivi.* Vox ista est animæ semper Deo intentæ: opus est istud misericordiæ indefensæ, continentie immobilis, jejunii usitati, largitionis impenitentis. Quomodo enim se Dei esse profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in avaritiam sollicitus, in ebrietatem sitiens & in gloriam sæculi inanis? horum potius est iste, non Dei: in quo enim hæc passionum vitia abundabunt, quomodo non eorum erit, quibus servit? plures gentium Dii: sed unus Paulo Deus, ex quo omnia, & unus Dominus noster Jesus, per quem omnia. Constanter ergo Propheta, cui soli servit, quod suus sit, confitetur, & quia suus sit, ut salvetur, orat. *(In Psal. 118.)*

XXXI. Omnes, qui stipe templi, & his, quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum, & Sacerdotum redimentium mendacium, & sanguinem Salvatoris. *(Cap. 33.)*

XXXII. Peccatori autem dixit: quare tu enarras justitias meas? Non ait, quare memor est? sed peccatorem monuit eum, qui in peccato mansisset, prædicationis offi-

cio abstinere : vult enim , liberum à crimine esse doctrinae caelestis predicatorem ; vult eloquia sua casta , corporis casto ore tractari. (*In Psal. 118.*)

XXXIII. Intravit Satanas in Judam : in omni igitur , quam perpetimur injuria , alterius opus , alterius instinctus est. Non ergo his irascendum : sed quoties per contumelias ad iracundiam provocamur , quoties aliqua perpetimur . . . agnoscendus est hostis ille , per quem hæc operum , ac ditorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operariis ; sed potius in his detestandi officii intercessio foeda miseranda est , quod sint vasa Diaboli , Satanæ ministerium. (*In Psal. 128.*)



SENTENCIAS ESCOGIDAS

DE SAN CIRILO

Correspondientes al Capítulo IV. Artículo IV.

I. **B**eatus David ; quamvis audiverit Dominum transulisse à se peccatum suum , non abstinuit tamen à poenitentia. (*Cath. 2.*)

II. Vis frui gratia Spiritus Sancti , & cibus sensibilibus pauperes non reficis ? magna quæris , & parva non expendis ? (*Cath. 3.*)

III. Signo Crucis utere , tum edens ac bibens , tum sedens & accubans ; & ut semel dicam , in omni re , atque negotio. (*Cath. 4.*)

IV. Divinorum Sanctorumque fidei Sacramentorum nihil , ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi debet ; neque simplici probabilitate , neque verborum ornatu traduci . . . Nam fidei nostræ salus & conservatio non facundia nititur sed Scripturarum divinarum comprobatione. (*Ibidem.*)

V. Jejunamus & à vino carnibusque abstinemus , non ea quasi piacula abhorrentes , sed mercedem expectantes ; ut dum sensibus grata contemnimus , spirituali cælestique mensa fruamur ; utque nunc , *Seminantes cum lacrymis , cum exultatione metamus in sæculo venturo.* (*Ibid.*)

VI. Vessitus tibi simplex & tenuis esto , nec ad ornatum , sed ad necessariam tutelam paratus . . . Ne vero , prætextu tegendæ turpitudinis , vestibis pretiosis , & accuratis in alteram turpitudinem incurras. (*Ibid.*)

VII. Cum Christus affirmat de pane , *Hoc est corpus meum* , quis deinceps audeat dubitare ? Eodem quoque di-